



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 11. An reuelatio mediata sufficiat ad obiectum formale fidei, vbi de
distinctione formali inter obiectum fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

Resoluitur
dubium pro-
positum per
paries.
1. Pars, fides
non resolui-
tur vltimate
in authorita-
tem huma-
nam eccle-
siaz.

2. Pars. Nec
resoluitur
secundum se
sumpta in
authorit. di-
uinam Ec-
clesiaz.

Tertia pars
resoluitur
tamen in illa
quoad nos.

Implicite ta-
men in diui-
nam au-
thorit. sem-
per resolui-
tur.

10. Supposita ergo distinctione data in numer. 8. de duplici auctoritate Ecclesiaz, manifestum imprimis est, fidem non resolui vltimate in Ecclesiam, vt pollentem quacunque humana auctoritate, etiam maxima, quia talis fides humana esset, non diuina: vnde verum simile non est, priores Auctores in hoc sensu fuisse loquutos, de quo etiam aliqua addemus in sectione 11. Ecclesia ergo, sub illa ratione spectata, erit in ratione proponentis, maximum, & quasi vltimum fundamentum, vltra quod necessarium est formale motuum quærere, in quod fiat vltima resolutio. Considerando autem Ecclesiam, vt ab Spiritu Sancto regitur, sic placet distinctio Caiet. in art. 1. de vltima resolutione fidei secundum se, vel quoad nos. Nam absolute, & secundum se, non potest fieri vltima resolutio in Ecclesiam: sicut vltima resolutio actionis non fit in instrumentum motum à principali agente, sed in ipsum principale agens, & ita Scriptura semper facit vltimam resolutionem in Deum, dum ait, fideles credere Deo, & suscipere verbum fidei, vt vere est verbum Dei, & Christus ipse, vt homo, in Patrem reuertit suam doctrinam Ioan. 12. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me: & alibi, Doctrina mea, non est mea, & Mat. 11. Caro, & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus, qui est in Cælis, cum tamen ipse docuisset: multo ergo magis id dicendum est de Ecclesia, quod Apostoli significauerunt, quando Actor. 15. dixerunt: Visum est Spiritui Sancto, & nobis. Denique patet faciendo ipsam resolutionem: nam licet credamus Ecclesiaz deponenti, si interrogerimur cur illi credamus, respondebimus, quia habet infallibilem assistentiam Spiritus sancti, & si iterum interrogemur cur hoc credamus, respondebimus, quia Deus reuelauit, cui credimus propter auctoritatem suam, non propter Ecclesiaz auctoritatem, licet illa nobis proponat ipsammet reuelationem Dei. Nihilominus tamen quoad nos propolita est Ecclesia, vt ab Spiritu sancto regitur, tãquam proxima, & sufficiens regula credendi, quia non possunt fideles omnes doctrinam fidei per se expendere, aut semper resolutionem facere in auctoritatem diuinam expresse cogitaram, quæ nimis excellens, & spiritalis est, Ecclesia autem est sensibilis regula, quæ facilius audiunt, & percipiunt: in illa tamen auctoritatem diuinam quasi loquentem supponunt, & ita implicite saltem suam fidem in Deum resoluunt, quod suo modo commune est alijs regulis fidei, vt sunt Scriptura, & traditio, quæ se mutuo iuuat, & vna in aliam resoluitur in suo ordine, quomodo autem hoc fiat sine vitioso circulo, dicemus inferius, de illis tractando in disp. 9.

SECTIO XI.

Utrum reuelatio virtualis, seu mediata sufficiat ad obiectum formale fidei: vbi de distinctione formali inter obiectum fidei, & Theologia.

Diuina reue-
latio aut for-
malis est.

Aut virtua-
lis, de qua
quæstio in-
stituitur.

DVobis modis intelligi potest, aliquid cadere sub diuinâ reuelationem vno modo formaliter: & secundum se, quia videlicet est id, quod formaliter dicit Deus, & hanc vocamus formalem, & immediatam reuelationem, quæ indubitanter sufficit ad fidem infusam, vt haftenus ostensum est, nunc autem inquirimus, an sit etiam necessaria? Alio ergo modo continetur aliquid, sub reuelatione diuina, quia licet in se non dicatur, includitur in re dicta, sicut esse Xristibile continetur in eo, quod dicitur, esse hominem, & hanc vocamus reuelationem virtuales, vel etiam mediatam, vtique ex parte obiecti materialis, non ex parte reuelantis, vel prædicantis fidem: nam de hac mediatione, vel immediatione ex parte Deiloquentis, iam supra dictum est. De

hac ergo reuelatione virtuali, & mediata quærimus, an sufficiat ad obiectum formale fidei, seu, quod perinde est, ad credendum fide infusa? Atque ita dubitatio hæc fere coincidit cum illa, an propositio elicit per discursum ex duobus principiis fidei, vel ex vna de fide, & altera naturali sit credenda de fide?

3. In hac ergo dubitatione est prima opinio affirmans has conclusiones Theologicas esse de fide, ac subinde ad fidem sufficere, quod virtualiter reuelatis sint, seu in reuelatis virtute contentæ. Ita tenet Cano lib. 6. de Loc. cap. vlt. ad 10. Latius Vega lib. 9. Trident. cap. 29. & defendit Vasq. 1. p. disp. 5. cap. 3. Probatur autem primo inductione, quam late facit Vega: quia multa credimus de fide, quæ in se reuelata non sunt, propter illationem necessariam ex reuelatis, vt Deum (inquit) esse infinitum, incorporeum, & similia: Patrem distingui realiter à Filio, quia generat illum: Christum habere duas voluntates: vel esse corpore, & anima, sub singulis speciebus consecratis: item qui baptizat infantem de fide credit illum esse iustum, solum ex illo principio fidei, quod verum Sacramentum dat gratiam non ponenti obicem: quia euidenter est, infantem non ponere obicem, & baptizanti, qui de sua intentione certus est, est etiam euidenter, se conficere verum baptismum. Et simili modo peccator, qui euidenter cognoscit se esse in affectu mortalis peccati, de fide credere potest se non habere gratiam apud Deum: ergo in his omnibus, & similibus sufficit mediata reuelatio ad fidem. Secundo est ratio à priori, quia minus pertinet ad infallibilem Dei veritatem, vt sint vera omnia, quæ necessario sunt connexa cum his, quæ expresse reuelantur, quam quod ipsummet dictum verum sit, quia vna veritas non potest subsistere sine alia. Vnde inter homines falsus testis iudicaretur, qui de aliqua circumstantia conuinceretur, sine qua veritas dicti sui existere non posset. Vnde sumi potest à contrario tertium argumentum: quia qui non daret assensum huiusmodi conclusioni contentæ in principio fidei, esset hæreticus, quia quærum est ex se falsum redderet testimonium Dei, & virtualiter negaret veritatem eius, cum non possit negare alia principia, quæ euidentia sunt: ergo è conuerso assensus illius veritatis ad fidem pertinet. Vltimo argumentatur in hunc modum, quia assensus ille certus, & ineuidenter est: ergo non potest esse nisi fidei infusa. Dicitur fortasse esse assensum Theologicum: sed contra, quia assensus Theologicus si nitatur tantum in reuelatione diuina, non est distinctus ab assensu fidei, quia est supernaturalis per se infusus: vnde non potest pertinere nisi ad habitum fidei, quia non datur alius per se infusus ad assentiendum speculative, & vniuersaliter veritatibus reuelatis: & ita possunt etiam pro hac opinione citari Auctores, qui existimant proprium habitum Theologie non distinguere à fide.

3. Secunda opinio extreme contraria negat reuelationem hanc virtuales sufficere ad obiectum formale fidei, & consequenter assensum habitum ex discursu Theologico per consequentiam euidentem, & ex principiis creditis, vel vno credito, & altero euidente, non esse assensum fidei, sed inferioris rationis, & consequenter pertinere ad habitum speciei distinctum. Et ita possunt pro hac sententia referri Theologi, qui distinguunt habitum fidei ab habitu Theologie etiam si vterque sit ad assentiendum non visis, quod communiter tenet in Prolog. Greg. q. 1. ar. 4. Maior q. 4. Ocham. q. 3. Gabriel q. 6. Capreol. Caiet. & Thomistæ, & alij ac plane D. Th. 1. p. q. 1. art. 1. & 2. Specialiter vero hanc sententiam explicat, & defendit Molin ibi ar. 2. disp. 1. & 2. & quod mirandum est illa ita ampliat, vt dicat conclusiones elicatas ex vna de fide, & altera euidente non esse de fide, etiam si ab Ecclesia definitæ sint, sed manere semper sub

Opinio af-
firm.

Probatur i-
nductione.

Probatur se-
cundo.

Tertio.

Quarto.

Secunda o-
pinio negat.

Ampliatio
Molinæ.

Illius funda-
ment.

Confirm.

Mollis am-
plius sua-
detur.

Notatio pri-
ma pro vera
sententia. V-
nus modus
Theologici
discursus.

Alius modus

Notatio se-
cunda.

certitudine Theologica. Fundamentum sententiae est, quia reuelatio virtualis tantum non causat tantam certitudinem, quantum praeberet reuelatio formalis; ergo non sufficit ad assensum fidei. Consequenter negare conatur Vega supra, sed in ea responsione non persiluit, & merito; quia assensus fidei omnes sunt æque certi per se, & essentialiter, licet ex parte subiecti possit esse aliqua inequalitas, quæ etiam inueniri potest circa res formaliter reuelatas: & ratio est, quia omnes assensus fidei sunt æque infallibiles, quia prima veritas æqualis est in omnibus, consequentia ergo optima est. Probatur autem antecedens, quia reuelatio tantum virtualis non sufficit ad certitudinem assensus; quia ipsa met reuelatio non ostendit virtutem continentiam vnus in alio, sed hanc manifestat lumen, seu euidentiā naturalis, hæc autem non confert tantam certitudinem sicut diuina reuelatio; ergo assensus inde productus non potest esse tam certus, sicut assensus fidei. Vnde confirmatur, quia ille assensus per se pendet ex principio euidenti, quia sine illo reuelatio tantum virtualis non sufficeret: supra autem ostensum est principium euidens non esse sufficiens ad fundandū assensum fidei, quia conclusio semper sequitur debiliorem partem quoad proprietates vtriusque præmissæ; ergo.

4. Ampliationem autem suam probat Molin. quia Ecclesia non potest facere, vt sit de fide, quod antea non erat de fide, sed conclusio illa ex vna præmissa de fide, & altera euidente non erat de fide ante definitionem Ecclesie etiam apud eos, qui optime nouerant vim illationis, & euidentiā præmissæ naturalis, atque adeo continentiam virtutem illius conclusionis in principio reuelato à Deo: ergo nec post definitionem Ecclesie, est de fide. Maior videtur haberi ex communi consensu Theologorum, quia Ecclesia non habet nouas reuelationes, vt noua dogmata fidei constituant. Quod si inquiratur, quid nobis conferat Ecclesie definitio, responderet, vt nobis certum constet illud esse de fide certum, saltem mediate: nam Spiritus S. inquit, non assensit Ecclesie, vt aliquid efficiat de fide, quod antea non erat, sed vt non erret, quando declarat quid sit de fide mediate, vel immediate.

5. Ad explicandam meam sententiā aduerto duplicem distingui posse discursum Theologicum: vnus ex propositione vniuersali de fide, & particulari euidenter nota, inferendo conclusionem particularem, vt in illo exemplo de infante baptizato: nam illa vniuersalis, *Omnis homo rite baptizatus sine obice iustificatus est*, est de fide, hæc autem particularis, *Iste infans est rite baptizatus*, est tantum naturaliter nota, & inde inferitur conclusio singularis. Alius discursus est de contrario ex vniuersali naturaliter nota, & particulari de fide, inferendo assertionem particularem, vt in alio exemplo, *Omnis homo est risibilis*, *Christus est homo*: ergo Quam distinctionem attigit in præsentī materia Gregorius de Valent. como tertio, disputatione prima, quæstione prima, puncto secundo, & affirmat in priori discursu conclusionem esse de fide, in posteriori autem tantum est Theologicam; & priorem partem recte intellectam sentio esse veram, posteriorem autem, licet in illo exemplo vera sit, non tamen videri vniuersalem: nam in hoc discursu: *Omnis homo habet animam rationalem*, *CHRISTVS est homo*: ergo *habet animam rationalem*: proceditur ex principio vniuersali naturaliter noto, & nihilominus conclusio est de fide; & ideo oportet alio modo distinctionem explicare, qui & magis adequatus sit, & rationem distinctionis declararet. Aduerto igitur aliud esse reuelationem esse tantum virtuale, aliud vero esse (vt hic dicam) cōfulam, potest enim reuelatio esse formalis, & non esse per cognitionem distinctam omnium, quæ in ea formaliter continentur, quod contingit dupliciter; primo quando sit generalis reuelatio distri-

butiua, vt in dicto exemplo, *Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem*, vel, *In omni hostia rite consecrata adeest Christus*, in illa enim vniuersali omnes singulares formaliter continentur, quamuis cōfusa. Alio modo contingit hoc in definitione, & partibus eius respectu definiti: nam cognitio definiti confusa est respectu definitionis, & nihilominus omnes partes definitionis in definito formaliter continentur, & ita cum reuelatur nobis Christum esse hominem, satis formaliter reuelatur esse animal rationale, vel habere corpus, & animam humanam, licet hoc non explicite dicatur. Reuelatio autem virtualis est respectu proprietatis, quæ nullo modo continetur formaliter in re dicta, sed tantum in radice, vt est in exemplo de risibilitate, & similibus. Vltimo oportet advertere, duobus modis posse nos vti discursu ad assentiendum propositioni illatæ; vno modo tanquam ratione formali assentiendi, & propria, ac per se causa ipsius assensus conclusionis illatæ; alio modo solum tanquam proponente, & explicante quid contineatur, & quomodo, sub diuina reuelatione, vt postea illi tantum in assentiendo nitamur, tanquam rationi formali, & causæ per se: isti enim duo modi possibiles sunt, vt per constet, & pendet ex voluntate hominis, & ita illos recte distinxit Valsquez supra, & alij non contradicunt.

6. Dico ergo primo: Reuelatio formalis, etiam si confusa sit, sufficit ad obiectum formale Fidei, & consequenter ad assentiendum de Fide particularibus contentis sub tali reuelatione, si sufficienter ad illa applicetur, & homo vtatur discursu conueniente modo ad huiusmodi assensum. In hac assertionem conuenio cum prima sententia, & illam admittit Valent. supra, ac probant aliqua exempla ex adductis, vt illud de infante baptizato, & de homine existente in affectu peccati, atque idem existimo de illo quod *Christus habeat animam rationalem, & corpus humanum*. Et in hoc etiam fundabimus infra discursus, in fin. sententiam asserentem, hunc hominem esse verum Pontificem, esse de Fide, & idem est de hac *Concilium Tridentinum fuit legitimum*, quod de Fide esse existimo, sicut de primis quatuor Concilijs generalibus dixit Gregorius, habenda esse sicut quatuor Euangelia. Ratio autem est, quia diuina reuelatio immediate cadit in illa omnia, sub illa vniuersalitate contenta: ergo sufficit de se ad fidem faciendam de omnibus si sufficienter proponantur. Et explicatur amplius in hunc modum: nam per illam reuelationem significatur nobis verum iudicium, quod Deus habet de adequato obiecto illius reuelationis: nam illud iudicium est fundamentum testimonij diuini, in DEO autem non est cognitio confusa, sed distincte iudicat de omnibus, quæ reuelat etiam si multa vno verbo complectatur: confusio ergo tantum est ex parte nostra, & in modo apprehendendi rem reuelatam; ergo si apprehensio illa sufficienter explicetur, reuelatio de se sufficit ad distincte assentiendum ex fide illis particularibus, quæ sub illa confusione continentur. Et ideo dixi, *Si reuelatio sufficienter applicetur*, oportet enim, vt certo, & indubitanter constet hoc, quod in particulari, & expresse proponitur, in illo vniuersali conceptu contineri, & consequenter veritatem hanc expressam, esse necessariam ad formalem veritatem illius vniuersalis, sic enim ad veritatem propositionis distributiue necessaria est veritas omnium singularium, & propterea in alijs exemplis non habet locum similis assensus de fide, vt quod in hac hostia sit præsens Christus, vel quod mihi sint remissa peccata: quia applicatio vniuersalis principij fidei, non sufficienter fit ad hæc particularia, quia de illis non est sufficiens certitudo propter multas, & occultas circumstantias, a quibus pendet. Dixi etiam, *Dummodo aliquis conuenienti modo vtatur*

Notatio ter-
tia.

1. Assens. dup-
pliciter limit-
ata.

Eius ratio.

Explicatur
amplius.

1. Limitatio
Assens.

2. Limitatio

E 4

discursu

discursu ad talem assensum : nam si utatur illo primo modo supra posito, id est, tanquam vnica, & per se, ac formali ratione assentiendi, nunquam efficiet assensum de fide, quod in omni discursu, etiam si sit ex duobus principiis de fide, verum existimo, vt latius dicam tractando de actu fidei. Et ratio est, quia discursus, vt talis est, fundatur in naturali lumine, & ideo si ille sumatur, vt ratio assentiendi, resolutio assensus non fit omnino in diuinam auctoritatem, sed in proprium lumen naturale, & ex ea parte claudicat assensus ne possit esse assensus fidei, & deficit ibi formale obiectum fidei, quia non est purum testimonium Dei, sed quoddam medium mixtum, & quasi compositum ex reuelatione diuina, & illustratione naturali. Oportet ergo vt discursus sumatur solum ad explicandum, & proponendum, quid sub diuina reuelatione contineatur : nam hoc modo non repugnat assensum fidei supponere naturalem assensum, vt saepe dictum est, & in sequenti sectione amplius explicabo.

Probat. ut.

2. Assertio.

7. Dico secundo : Reuelatio tantum virtualis, seu mediata non sufficit ad obiectum formale fidei, & consequenter assensus in illa fundatus cum iuuamine alicuius principij naturaliter euidentis non sufficit ad proprium assensum fidei, sed tantum ad Theologicum. Hanc assertionem præter Auctores citatos in secunda sententia tenuit Cano decimo secundo de Locis capit. septimo, præceptione octaua, ita declarans, vel emendans quod ibi prius dixerat; tenet etiam Valentia supra, & idem sentit Corduba libro primo, questione decima septima, & non obscure Caietanus prima parte, questione prima, articulo secundo § *Ad quartum*, vbi etiam idem sentit Diu. Thom. nam distinguit actum scientificum Theologiæ ab actu fidei, & habitum ab habitu, cum tamen non videantur posse alio modo distingui, & ita idem sentit super Boetium de Trinitate questione secunda, articulo secundo, ad quartum, & in prologo Sentent. articulo tertio, questione prima, vbi etiam Capreol. questione prima, conclusione quinta, & Gregor. questione prima, articulo tertio post tertiam conclusionem. Vt autem probemus assertionem sine vlla æquiuocatione, oportet vti distinctione data, de duplici modo vtendi discursu ex vna præmissa de fide, & altera euidente ad inferendam Theologicam conclusionem: vnus est assumendo discursum tanquam causam per se assensus conclusionis, & ex illa connexion præmissarum componendo vnum medium, quod sit propria ratio formalis assentiendi, & in hoc modo procedendo, & intelligendo assertionem illam etiam admittit Vazq. supra, & existimat non negari à Cano, aut Vega; & probatur primo, quia illa ratio assentiendi non est mere diuina, ac supernaturalis, qualis requiritur ad assensum fidei, & ad obiectum formale eius. Secundo, quia ille assensus non potest esse certior quā præmissa naturalis: nam in hoc verum habet Philosophorum axiomata, quod *conclusio sequitur debiliorem partem*. Et ratio est: quia assensus conclusionis pædet in certitudine a singulis præmissis, & ideo non potest esse certior quam sit quilibet præmissarum: ergo non potest ille assensus esse assensus fidei: ergo nec medium eius sufficit ad obiectum formale fidei.

Notatio pro
assertione
probandaProbat. ut
assertio
primo loco
in casu quo
discursus
causa pro
pria assensus
conclusionis.Illatio vna in
dicto casu.Cōtra illam
sententiam
Molina, & Fonseca.

8. Vnde obiter infero duo: vnum est, assensum fidei elicatum ex discursu illo non esse in substantia sua supernaturalem. Probat. quia non habet certitudinem supernaturalem, cum non excedat certitudinem naturalis præmissæ, vt ostensum est: deinde, quia non habet obiectum formale supernaturale, quia illud mixtum, seu compositum ex medio fidei, & scientiæ, humanum est, & naturale: vnde formaliter fundatur in naturali lumine, imo etiam in viribus naturalibus; denique actus ille habitum acquiritur generat. Contrarium vero in hoc puncto tenuerunt Molina prima parte questione prima arti-

culo secundo disputatione prima, & Fonseca sexto Metaphysicæ capite primo questione sexta sectione octaua, dicentes hunc actum esse supernaturalem. Fundantur, quia procedit ex assensu supernaturali cooperante assensu naturali, quod satis est ad assensum supernaturalem, sic enim assensus fidei supernaturalis est, quia procedit ex habitu supernaturali cooperante potentia naturali: vnde consequenter asserunt, habitum correspondentem illi actui esse supernaturalem; licet fateantur esse acquisitum, quæ duo non video quomodo cohereant: nam habitus supernaturalis per infusionem fit, vt ex libro de Gratia octauo cap. tertio & quarto constat. Illud etiam fundamentum non est solidum; nam etiam assensus fidei diuinæ potest concurrere cum assensu fidei humanæ, vel opinionis, ad eliciendum assensum conclusionis, & tamen non propterea ille assensus erit supernaturalis, imo interdum potest esse falsus, vt disputatione sexta sectione quinta numero quarto attingemus: ergo vt assensus conclusionis supernaturalis sit, non satis est quod assensus vnus præmissæ sit supernaturalis, imo in hoc debet effectus potius sequi debiliorem partem causæ. Neque est simile de concursu intellectus cum habitu fidei, quia ibi ratio formalis specificans actum semper manet pure supernaturalis, & ita intellectus non concurrat vt operans naturali virtute, sed per eleuationem, & obedientialem potentiam, vt alibi dixi, vtrumque autem secus est in illo discursu, vt explicatum est.

Sorum ratio.

Impugnatur.

9. Altera illatio est, assensum Theologicum alterius rationis esse in hæretico, & in Catholico, etiāsi Vazquez supra contradicat: & ratio est, quia in hæretico procedit ille assensus ex fide humana, quæ ex parte pendet à præmissa credita, & consequenter non potest esse tam certus, quam est assensus scientificus, quia fides humana non est tam certa: & vt dixi, assensus conclusionis nunquam est certior, quam illa præmissa, quæ minus certa est: at vero in Catholico assensus ille fundatur in certitudine fidei, quæ potest iuuare certitudinem scientiæ ad eliciendum assensum conclusionis, saltem æque certum ac est ipsa scientia: ergo sunt assensus diuersarum rationū. Et in hoc sensu recte loquuntur Theologi, qui dicunt Theologiam esse scientiam in Catholico non in hæretico, intelligendum est enim quoad certitudinem, non quoad euidentiam. Sic etiam vere dicitur, quod sicut hæreticus in vno articulo perdit totam fidem infusam quoad omnes, ita etiam perdit totam Theologiam, quæ scientia suo modo est, licet retineat fidem quandam humanam mediā tam quoad aliquas conclusiones Theologicas: nam quidquid sit de habitu, est hoc verum quoad vsum, & exercitium actuum, quia illi pendent per se, & quasi essentialiter ab assensu fidei infusæ, qui in hæretico esse non potest. Confirmatur hoc: & declaratur breuiter, quia non est verisimile, hæreticum firmiori, vel meliori assensu credere Christum V. g. esse risibilem, quam esse hominem, sed hoc secundum credit tantum fide humana, ergo & primum: E contrario vero Catholicus non minori certitudine credit Christum esse risibilem, quam assentiatur illi vniuersali principio, Omnis homo est risibilis, cuius certitudo est maior, & perfectior, quam sit fidei humanæ: ergo etiam assensus illius conclusionis Theologicæ, perfectioris rationis est in Catholico, quam in hæretico. Et ratio propria est, quia mediū illud, & ratio assentiendi confurgens ex testimonio diuino coniuncto cum euidentia naturali, est perfectioris rationis, quam sit medium confurgens, ex testimonio humano coniuncto cum eadem euidentia naturali, vt videtur per se manifestum.

Illatio altera
quæ probatur
contra
Vazq.Theologia
hæretici non
est scientia.Id ostenditur
verisimiliter.Et propria
ratione.

10. Superest probanda assertio in alio sensu, quando vtimur discursu Theologico, non vt formali ratione assentiendi, sed vt applicante, vel explicante

Probat. ut
inde assertio
secundo loco
in casu
mate-

quod dicitur
in hoc casu
necesse est
ad Thom.

In hoc casu
necesse est
ad Thom.

Totum ratio

Tentia tamē
assensio fla-
uitur.

Probat an
theoretice
Theologum

Ratione

materiam, quæ continetur sub reuelatione diuina, quæ postea est vnica ratio assentiendi; in quo sensu minus certa est conclusio, & prima opinio maiorem habet speciem probabilitatis: quia ille actus est valde similis actui fidei, in modo assentiendi, in obfcuritate, in euidentiā, libertate, & pia affectio-
ne. Nihilominus etiam in hoc sensu existimo esse veram assertionem, & intentam ab Auctoribus se-
cundæ sententiæ, præsertim a Diuo Thoma, qui docet dari assensum Theologicum distinctum ab assensu fidei, & certiorē præmissa naturaliter eui-
dente, qui assensus non potest esse alius nisi is, de quo loquimur, quia alter assensus per se fundatur in discursu, non est certior, quam naturalis præ-
missa euidens, vt declaratum est: ergo etiam hic as-
sensus Theologicus habet obiectum formale distin-
ctum ab obiecto formali fidei: ergo reuelatio y-
rualis tantum, seu mediata, & in alio, non sufficit
ad obiectum formale fidei: nam hæc reuelatio vir-
tualis est formale obiectum illius assensus Theolo-
gici. Vnde hoc etiam sentiunt alij Theologi, qui in
hoc distinguunt obiectum formale Theologiæ ab
obiecto formali fidei: nam licet vtramque sit pri-
ma veritas: respectu fidei est immediate testificans,
seu formaliter reuelans, respectu vero propriæ
Theologiæ solum testificatur in alio, seu virtuali-
ter. Ratio autem est, quia hic duplex modus testi-
ficationis habet rationem motiui valde diuersam,
& longe diuerso modo certificat intellectum, quia
multo magis necessaria est veritas testificantis in
eo, quod formaliter, & expresse affirmat, quam in
eo, quod virtute tantum in re dicta continetur,
præsertim quando hæc ipsa contentia vnus in alio,
nec reuelatur, nec per se, ac formaliter existit in
re reuelata.

11. Nihilominus dicendum est tertio, conclu-
sionem Theologicam, quæ prius tantum virtute
continebatur in rebus reuelatis, postquam per Ec-
clesiam definitur, esse formaliter, & propriissime
de fide non mediate tantum, sed immediate: quia
iam non habetur illa veritas tantum vt virtute, &
mediate reuelata, sed vt reuelata formaliter, & in
se. Hæc assertio videtur mihi certa, & haberi ex
communi consensu Theologorum, qui primam
regulam, & proximam quoad nos, ad assentiend-
um de fide, ponunt definitionem Ecclesiæ, vt ex
præcedenti sectione intelligi potest, & eadem vtun-
tur ad iudicium ferendum de propositione hæreti-
ca, vt sumitur aperte ex Diuo Thoma secunda se-
cundæ quæstione vndecima, articulo secundo, ad
tertium, vbi Caietanus, & omnes, & infra disputa-
tione decima nona, sectione secunda, latius dicitur.
Neque in hoc inuenio Theologum contradicentem:
nam Cano, qui citatur duodecimo de Locis cap. 3.
potius affirmat propositiones definitas ab Ecclesia
esse de fide, quod ad rem præsentem spectat: postea
vero indicat non omnes illas esse principia Theolo-
giæ, quod diuersum est, & pertinet fortasse ad mo-
dum loquendi de scientia Theologiæ. Ratio vero
est, quia quod Ecclesia definit, Deus per Ecclesiam
testificatur, Ecclesia autem definit talem veritatem
in se, ac formaliter: ergo iam D E V S illam in
se, ac formaliter testificatur: ergo eo ipso est con-
stitutura sufficienter sub obiecto formali fidei: nam
testimonium diuinum idem est, & æque certum, si-
ue per se ipsum, siue per Ecclesiam, vel alium mini-
strum Deus illud præbeat, vt supra ostensum est. Et
ita consequentiā est manifesta: minor etiam con-
stat ex vfu, & definitionibus Ecclesiæ, maior autem
videtur certissima, quia Ecclesia regitur ab Spiritu
Sancto in suis definitionibus, & ita de illa verifi-
catur illud: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*:
quod Apostoli significarunt cum dixerunt: *Vidimus et
spiritum sancto, & nobis*: & similiter Concilia solent
ante definitionem præmittere, se esse in Spiritu san-

cto legitime congregata: idem etiam plane sensit
Gregorius libro primo Epistol. cap. decimo quarto,
prope finem, cum voluit, quatuor prima Concilia
generalia haberi, vt quatuor Evangelia, quia non
in inori auctoritate in eis loquutus est Spiritus san-
ctus, quoad definitiones de Fide. Confirmatur pri-
mo, quia non est minor auctoritas Ecclesiæ quando
veritatem definit, quam sit Scripturæ sacræ in his,
quæ continet, sed omnia, quæ sunt in Scriptura,
sunt propriæ, & immediate de fide: ergo etiam om-
nia quæ Ecclesia definit. Consequentia, cum mino-
ri constat, & maior patet, tum ex illo Pauli: *Ecclesia
est columna, & firmamentum veritatis*: tum ex dicto
Gregorii proxime citato, tum ex alio Augustini,
*Euangelion non crederem, nisi Ecclesiæ auctoritas me moue-
ret*: tum etiam, quia sicut est de fide non posse solui Scri-
pturam, ita etiam est de fide Ecclesiam non posse er-
rare in suis definitionibus. Nec satis est dicere Ec-
clesiam non posse errare in hoc, quod res definita
sit de fide immediate, vel mediate: Etenim Ecce-
lesia non definit isto modo, sed absolute hoc esse ve-
rum, vel esse catholicam doctrinam, & ita eodem
tenore huiusmodi veritates definit, & errores con-
trarios damnat, vt constat ex Concilio Tridentino,
& ex cæteris omnibus. Denique non solum definit
veritates per discursum elicitas ex principijs fidei,
sed etiam definit verum sensum Scripturæ, & in-
tentionem Spiritus sancti in his, quæ reuelauit, vel
per Scripturas, vel per traditionem: ergo signum
est habere infallibilitatem proximam, & imme-
diatam, ex assentientia ipsius Spiritus sancti, quæ
æquiualeat reuelationi, vel consummat illam, vt
sic dicam. Quapropter licet Ecclesia dicatur non
docere nouam fidem, quia semper explicat anti-
quam: nihilominus sua definitione facit, vt aliquid,
sit nunc de explicita, & formali fide, quod antea
non erat, vt supra dixi.

12. Et per hæc satisfactum est argumentis secunde
opinionis, nam priora confirmant nostram senten-
tiam: alia vero nouam difficultatem non habent.
In argumentis autem primæ opinionis, in primis in
inductione, quæ ibi fit, aliqua non sunt vera, & ali-
qua parum distincta. Nam *Deum esse infinitum, esse in-
corporeum, & similia*, satis immediate sunt reuelata
in Scripturis, si non eisdem terminis, saltem æqui-
ualentibus, vt *Deum esse Spiritum, esse omnipotentem, &c.*
præterquam quod etiam hæc sunt immediate defi-
nita. Alia vero, quæ ibi asseruntur, sunt quoque
in se reuelata, quamuis non omnino distincte, vt de
singularibus contentis sub vniuersali, dictum est.
Denique aliqua dantur, quæ simul sunt conclusio-
nes Theologiæ, & veritates definitæ, & ita possunt
simul esse creditæ per propriam fidem, & scita per
Theologicam scientiam, hæc enim duo non repu-
gnant, etiam ex sententia communi Thomistarum.
Ad rationem vero respondetur, non omne illud, ex
quo pender veritas propositionis reuelatæ, esse æ-
que certum, nisi vel formaliter contineatur in re re-
uelata, vel de illa connexionione, per similem reuela-
tionem constet, præsertim quod ea quæ sic tantum
sunt connexa, possunt per potentiam absolutam se-
parari, & ita non manet æqualis certitudo. Ad argu-
mentum autem de contrario errore respondemus
aliud esse tractare de veritate, aliud de præsumptione,
vt recte dixerunt Gregorius quæstione prima,
Prolog. articulo quarto, & Corduba libro primo,
quæstione decima septima. Qui ergo negaret con-
clusionem Theologicam necessariam, merito præ-
sumeretur hæreticus, quia crederetur potius nega-
re obfcurum, quam euidens: tamen in re non esset,
seclusa definitione Ecclesiæ, si vere non negaret
principium fidei, sed alia absurda cogitatione
duceretur. Sicut Durandus negauit in Eucharis-
tia esse quantitatem corporis C H R I S T I,
quamuis sit proprietas satis inseparabilis à ma-
teria

Confirm. 1.

Eualio in-
sufficiens ex-
cluditur.

Confirm. 2.

Ad r proba-
tionem ab
inductione
in num. 2.

Ad 2.

Ad 3.

Ad quartam.

teria secundum naturalem possibilitatem, & evidentiam. Reliqua quæ ibi tanguntur de actu, & habitu Theologiæ, quomodo sint supernaturales, & infusi: dicemus inferius, comparando illos cum actibus, & habitu fidei.

SECTIO DVODECIMA.

Virum reuelatio diuina, vt credita fide acquisita, sit sufficiens ad obiectum formale fidei.

Diximus hætenus, primam veritatem, vt reuelationem, esse formale obiectum fidei, & consequenter diuinam reuelationem pertinere ad hoc obiectum formale, tanquam testimonium primæ veritatis, ex quo sequitur, quod in superioribus etiam tetigimus; duo esse principia, ex quibus fides nostra pendet, vnum est, *Deum non posse fallere, in his quæ dicit, aliud est, Deum dicere, ea quæ credimus*: vnde sicut de priori principio supra tractauimus, quomodo cognoscendum sit, ac credendum, vt fidem aliarum veritatum fundare possit: ita in præsentī declarandū superest, quomodo principium posterius, scilicet, *Deum dicere, aut reuelare*, nobis innotescere debeat, vt propter diuinam reuelationem cætera credere valeamus. Cuius quæstionis resolutio facilis esse posset ex dictis in priori puncto: tamen, quia non desunt opiniones, prætermitti non potuit, & simul eum illa explicabimus, quomodo fides diuina ab acquisita pendeat, vel illam aliquo modo requirat.

2. Est ergo prima sententia affirmans, diuinam reuelationem necessario prius credi debere per fidem acquisitam, vt res reuelatæ possint per fidem infusam credi: ex quo sequi videtur, reuelationem diuinam, vt creditam per fidem acquisitam, esse rationem credendi res alias reuelatas à Deo, & consequenter principium illud, *Deus dicit has res*, per fidem humanam esse creditum, & hoc satis esse, vt fundet fidem infusam. Hæc opinio solet tribui Scoti in 3. dist. 23. q. vnica, quem ibi Gab. imitatur. q. 2. art. 1. prope finem, & art. conclus. 1. qui tam expresse non docent omnia quæ proposita sunt, licet in multis faueant: dicunt enim fidem infusam, sine præuia acquisita, obtineri non posse: imo indicant fidem acquisitam esse partialem causam fidei infusæ, vel potius, actum fidei acquisitæ, & infusæ non esse distinctos, sed vnum ex duplici habitu acquisito, & infuso, habente tamen ab infuso maiorem intentionem, & firmitatem, quod ita intellexit & secutus est Medina lib. 5. de recta in Deum fide cap. 11. & ideo citari etiam solet pro hac sententia, quod fides infusa, resoluatur in acquisitam ex parte illius principij, *Deus reuelat seu dicit*, re tamen vera illam non tenet, vt ex fine capitis constat. Tribuitur etiam à Cyno lib. 2. de locis cap. 7. ipsa hæc sententia Durando in 3. dist. 24. quæst. 1. numer. 8. quia dicit vltimum principium, in quod fides resoluatur, esse testimonium Ecclesiæ, quod etiam dicit Medina: tamen Durandus non declarat qua fide credatur hoc Ecclesiæ testimonium: addit vero dist. 25. quæst. 3. nu. 4. assensum qui pendet ex approbatione Ecclesiæ esse acquisitum, in quo fauet huic sententiæ.

3. Principale autem fundamentum huius sententiæ est, quia ad credendum esse vera, quæ dicuntur à Deo, necesse est credere esse dicta à Deo: sed quod sint dicta, non potest credi fide infusa: ergo debet credi fide acquisita, & illud sufficit. Consequentia patet, quia non potest cogitari alius modus cognitionis, cum illud non sit obiectum euidenter cognitum. Minor autem probatur, quia illud principium non potest cognosci per aliud, vt fide infusa credatur, alias procederetur in infinitum; neque etiam per se ipsum, quia non est per se notum ex terminis,

& tantum illa, quæ huiusmodi sunt, possunt illo modo per se, & immediate cognosci, præsertim certa, & infallibili cognitione. Secundo argumentatur Scot. & Gabr. quia Fides infusa non potest exire in actum nisi præuia aliqua fide acquisita: ergo hæc maxime necessaria est de ipsa reuelatione, seu de hoc principio, *Deus dicit*, ergo reuelatio, vt credita fide acquisita, est ratio credendi cætera reuelata. Primum antecedens probatur, quia si puer baptizatus, quando peruenit ad usum rationis, non habeat veritates fidei sibi propositas per aliquam humanam auctoritatem, non poterit illas credere fide infusa, etiam si habeat habitum infusum fidei; ergo signum est illum habitum prærequirere fidem acquisitam, vt possit suum actum elicere, quoniam si hoc non postularet, posset statim suum actum exercere: vnde hoc confirmant primo, ex illo Pauli ad Roman. 10. *Fides ex auditu*, putant enim hoc non esse dictum, nisi, propter fidem acquisitam; nam fides infusa, inquit, non est ex auditu prædicationis, sed immediate infunditur à Deo. Et confirmatur, ait Scotus, quia fides, quæ ex auditu cõcipitur, sepe est fides informis, quæ habetur sine penitentia, & charitate, ergo est fides acquisita: nam infusa non datur, nisi cum charitate. Confirmatur tandem, quia nostra fides ordinarie fundatur in testimonio Ecclesiæ, vt sumitur ex Augustino cõtra Epistolam Fundamenti cap. 4. & vltimo ipso, ac experientia constat; sed Ecclesiæ esse veracem credimus fide acquisita, propter maximam auctoritatem huius congregationis, & propter miracula, quæ in ea facta sunt, & in signum sanctitatem, & doctrinam eius, & alia motiua, quæ ad credendum nos mouent, & Augustinum in Ecclesiā tenebant, vt ipse fateatur, in citato loco: ex quibus omnibus tantum confurgit fides quædam humana, quæ licet in suo ordine certa sit, non transcendit fidem acquisitam: ergo ex hac parte in illa nititur, & ad illam resoluatur fides infusa.

4. Hæc sententia quantum ad præcipuam resolutionem, quam in præsentī inquirimus, probari à nobis non potest, nam rationes & argumenta, quibus supra ostendimus euidentiam illius principij, *Deus nos fallere non potest*, non esse sufficientem ad fundandam certitudinem fidei infusæ circa res reuelatas, à fortiori conuincunt credulitatem humanam, quantumvis moraliter euidentem, huius principij, *Deus reuelauit, seu dixit has res*, non posse sufficere ad obiectum formale fidei, ex quo per se pendet tota eius certitudo supernaturalis, & infusa: Quod autem hoc ita sit, patet: quia naturalis euidentia, infallibilis veritatis diuinæ, non est minor, imo fortasse maior, quam sit certitudo, vel euidentia illius credulitatis humanæ, vt videtur per se notum, & de conuerso, dependentia fidei, & certitudinis eius ab hoc principio, *Deus dicit hoc*, non est minor, quam sit dependentia eiusdem fidei ab alio principio, *Deus est verax*: ergo si euidentia illius principij non sufficit ad obiectum formale fidei, nec potest sufficere humana credulitas diuinæ reuelationis. Ratio denique priori est, quia certitudo fidei infusæ, est supernaturalis, certitudo autem fidei acquisitæ, est inferioris ordinis, & naturalis, ergo impossibile est, vt illa prior per se fundetur, aut pendeat ab hac posteriori. Confirmatur primo, quia alias tam imperfecta esset fides Catholicis, sicut fides hæretici, circa idem mysterium ab utroque creditum, quod est manifeste falsum. Probat autem sequela, quia fides hæretici in hoc imperfecta est, quia totam suam credulitatem fundat, seu resoluatur in aliquam fidem humanam, quæ credit Deum dixisse illa, quæ sibi videntur credenda; & non alia: ergo si etiam nostra fides in humanum testimonium, & fidem acquisitam resoluatur, eandem profecto participat imperfectionem. Vnde confirmatur secundo. Nam hæc fides acquisita

Secundum,

Confirm. 1. ex Rom. 10.

Confirm. 2. ex August.

Improbatur superior sententia.

Argumentum à fortiori.

Roboratur primo.

Secundo,

1. sententia affirm. & quibus tribuitur.

Huius sententia argumentum.